



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

25 Clericus cum muliere in peccato perseverans, qua poena sit  
plectendus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

clericus etiam non beneficiatus, nec sacris ordinibus initiatus, propter periculum irregularitatis ad offensam à procuratoris, & advocati officio debet abstinere, *cap. sententiam, ne cler. vel mon. cap. 1. § 1. dist. & Abb. d. cap. 1. num. 4. in fin. de postul. ubi ac tot. tit. ne cler. vel mon. lector plura videre potest.*

22 Clerico officia, & commercia secularia exercere minis, ioculatoribus, & histrionibus intendere, tabernas frequentare, nisi forte causa necessitatis in itinere constitutis, alea, & taxillis ludere, aut ludis huiusmodi interesse, pannis rubeis, aut vitidibus, manicisque, aut sotularibus confariciis, frænis, sellis, pectoralibus, calcariibus deauratis aut aliam superfluitatem gerentibus uti, fibulas, corrigias, auri, vel argenti ornatum habentes, vel annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis, deferre, est de iure prohibitum: ac à crapula, & ebrietate, debent clerici abstinere, cum ebrietas, mentis inducat exilium, & 25 & libidinis provocet incentivum, *ut cap. cum decorem. c. à crapula, & cap. clerici. de vit. & honest. cleric. & contrafacientes sunt puniendi, Concil. Trid. in cap. 4. de resor. sess. 14. cap. 6. §. eos verò, sess. 21. & melius in cap. 1. §. cum igitur, sess. 22. ubique de resor. ubi his casibus puniri possunt omni appellatione remota,*

23 Incontinentiam etiam & plures penas incurunt, & quam turpe, ac clericorum nomine, quo se divino cultui addixerunt, sit indignum in impudicitiam sordibus, immundoque concubinato versari, satis res ipsa eommuni fidelium omnium offensio- ne, summoque clericali militiam dedecore, Conc. Trid. testatur, *ut in cap. 14. in princip. de resor. sess. 25. quapropter prohi-*

betur quibuscunque clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus haberi possit suspicio in domo, vel extra detinere, aut cum ipsis ullam consuetudinem habere audeant, alioquin pœnis à sacris canonibus, vel statutis, ecclesiarum impositis, sunt puniendi, *ut in eod. cap. 14. c. volumus. cap. in omnibus. c. cum omnibus § 1. dist. cap. 1. & fere per tot. de cohab. & cap. sceminas, cler. & mul.*

24 Non se abstinentes, & si à superioribus muniti fuerint, tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcunque, & pensionum ipso facto sunt privati, quæ fabricæ ecclesiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi est applicanda, & multæ ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, contra quoscunque, etiam laicos, eo ipso, quo exactæ fuerint, locis pijs sunt assignandæ, *ut cap. 3. §. in causis verò, ead. sess. 25.*

Si verò in delicto & cum eadem, vel alia scemina quis perseveraverit, secundæ monitioni non parendo, omnes fructus, ac proventus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittit, & ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, à beneficiorum ipsorum administratione arbitrio eiusdem Ordinarii est suspensus.

Si verò ita suspensus concubinam non expulerit, & cum ea etiam versetur, aut semel dimissam intermissam consortium repetierit, aut aliàs huiusmodi scandalosas mulieres, sibi adungere ausus fuerit, beneficiis, & pensionibus quibuscunque ecclesiasticis perpetuò est privandus, & inhabilitatis pœnam incurrit, ac etiam excommunicationis gladio plecti potest, *d. cap. 14. §. quod si, & §. si verò, sess. 25.*

K k k

Cle-

Clerici verò beneficia ecclesiastica, aut pensiones non habentes carceris pœnas suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda sunt puniendi, ut d. cap. 14. §. clericis vero.

Quod decretum non procedit in simplici incontinentia, sed in concubinato, & ut habeat locum, requiritur, quòd clericus secundò delinquat, & specialiter moneatur, ut fuit à sacra congreg. decretum, super eodem cap. subtit. Mediolanen. cap. 1. & 2.

26 Sed ordinarii locorum ad amputandas fraudes, & diffugia eorum, qui scandalosè vivunt, in principio eorum regiminis edictum contra concubinos edant, & publicari curant; quo moneantur omnes concubinarij pro primò, secundò, tertio, & peremptorio termino, monitione canonica præmissa, quatenus debeant sub pœnis in eodem edicto comminatis & inflictis de cætero à concubinato abstinuisse, & ipsius edicti vigore, nulla alia monitione præmissa, procedere, & non parentes ad pœnas in eod. edicto contentas, condemnare possunt.

27 Episcopi enim ꝑ contra plures, & incertas personas ordinaria auctoritate possunt edicta publicare, quæ afficiunt, *auth. qui semel, junct gloss in rer. judicaria, C. quom. quand. jud. Bart. in const. ad reprimendum. §. per edictum, num. 1. & num. 3. & cap. de illicita, & ibi gloss. in verb. peremptorio. 24. quest. 3.* Sed illa verba fructuum, obventionum, & proventuum in d. cap. 14. apposita. non includant distributiones quotidianas.

Si autem reus fuerit secundò monitus, & non paruerit, tunc est suspendendus, & ab administratione beneficiorum, ut cho-

ro inservire non possit, & distributiones quotidianas amittit, ut in eisdem decis. super eodem cap. 1. t. §. illa verba, & §. suspensivi vigore. Licet enim de jure civili ad effectum concubinatorum videatur requiri, quòd concubina sit retenta in domo, ut per gloss. & Bart. in l. concubinam, ff. de concub. Præpos. in rub. de spons. num. 5.

Et regulariter plura concurrere debent, ad constituendum concubinatum, de quibus per Rot. in novis. decis. 254. n. 1. & 2. par. 2. clericus tamen retinens mulierem in domo, sive extra domum, cum qua habeat consuetudinem, pro concubinario habetur, ut in d. cap. 14. circa princip. Quando autem clericus tenet concubinam, sicut uxorem, & publicè nutrit filios, ita, quòd etiam ipse non audeat diffiteri, tunc sine aliqua monitione superioris, talis est suspensus ab officio, & beneficio, ita quòd, si celebret, incurrat irregularitatem, Abb. in c. vestra, nu. 7. de cohab. cler. & mul. & Diaz. pract. crimin. cap. 73. vers. advertetamen alias, cap. 80. num. 2. & illi testamento, aut alio contractu donare, vel legare est prohibitum, ita quòd donatio causa mortis, aut legatum factum per clericum suæ concubinæ, seu alteri mulieri, in quam turpis suspicio cadere possit, non valet, ut l. 2. ubi etiam Bald. C. de donat. inter vir. & vxor. l. miles ita, §. mulier, & ibi Bart. num. 1. & 2. ff. de milit. testam. & l. affectionis. Ubi etiam, glo. in ver. meretrices ff. de donat. quæ procedunt, non solum in clerico, sed in milite, avvocato, & minore, glo. h. in l. 2. quæ communiter est approbata, C. de donat. inter vir. & ux. & Bar. in d. l. affectionis. ff. de don.

28 Simples autem ꝑ fornicarii clerici, etiam in sacris constituti, non incurunt

pæ.